

1533

P O L E M I C I .

1534

*dictus de bassya in Wyenna sepultus*, cujus et Epitaphium sat notum praecedit.

## CCCCXIII.

649 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 98. 4. exhibet: I. ἀδελποτως Petri Tzsch de Pulka Theologi Vien. Tractatum contra *Hussitas*, qui incipit: *Iussit reuerendissima vestra Paternitas et metuendissima Dominatio* &c. et relatus est pluries ut *Index* docet.

II. fol. 34. p. 2. alium Tractatum pariter ἀδελποτως contra necessitatem Communionis sub utraque Specie, qui incipit: *Recedite a tabernaculis hominum impiorum* &c. Num. C. 16. *Salubre documentum hec dei sententia prestat cunctis fidelibus* &c. Orditur a querelis contra eos, qui *Bohemiae* regnum in Schisma imo in Haereses, ut ait Autor, induxerunt obtentu legis Christi, cum tamen e conuerso per hanc ipsorum nouitatem subuerse sint ecclesie, persone plurime religiosissime crudeliter occise, cultus diuinus in toto regno exterminatus, ac ipsum regnum per sediciones, ignes, depopulationes et innumeras hominum strages nimis desolatum. Unde de Scriptionis tempore conjicias. Opusculum porro verbis Autoris in tres tractatulos diuisum est. In quorum primo declarantur auctoritates sacre scripture quas hussite allegant ad probandum prefatum communionis articulum et soluuntur argumenta que ex eisdem auc-

toritatibus induxerunt. In secundo ponuntur solutiones rationum quas ex dictis Doctorum multipliciter roborare frustra conati sunt. In tercio habentur efficaces rationes quibus euidenter ipsorum error conuincitur, &c. De Scriptore cogitanti *Job. Nider*, *Nic. de Dünkelspühl*, *Thom. Haselbachius* se offerunt; non enim *Bobemum* putem.

## CCCCXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. 180 XV. Folior. 290. f. bene scriptus exhibet sequentia: I. redit *Tractatus bonus contra quatuor articulos hussitarum*, hic anonymus, sed qui jam Cod. CCCCXII. sub nomine *Petri de Pulka* comparuit.

II. fol. 56. *Hussitarum Auctoritates et Argumenta pro necessitate duplicis speciei*. Initium absque inscriptione: *Hussite multipliciter nituntur fulcire intencionem suam de communionem populi laycalis sub utraque specie* &c. Finis: *Corpus christi sub forma panis et sanguinem sub forma vini. Das hat auch end.* Ex qua clausula vulgari *Bobemum* scriptorem arguo.

III. fol. 60. *Materia questionis de paupertate cleri tractata in concilio Constantiensi*. Initium: *Vtrum viris ecclesiasticis seu clericis liceat aliquid possidere. Vna pars tenebat non esse licitum. Alia defendebat esse licitum id quod a quingentis annis et amplius ecclesia de more habuit. Primo ponam allegaciones*

1535

C O D I C E S

1536

*allegaciones prime positionis. Secundo allegaciones contrarias. Tertio primas allegaciones dissoluam, quantum sine librorum studio cursum facere potero. &c. Videtur praeuie ad damnationem Articulorum Job. Wiclefi ventilata haec Quaestio.*

IV. fol. 72. *De ymaginibus lectura scolastica.* In scholis Viennensibus habitam fuisse patet ex dictis fol. 79. p. 2. *Ex his inferitur propositio prima, quod non sine deceptionibus et periculo ac conturbacione sententiarum ostenditur hic wienne et alibi christi precucium in numero reliquiarum &c. Ex quo simul palam fit sana doctrina catholica Autoris, qui incipit: Distinctio Nona tractat materiam de adoratione, Juxta cuius materiam queritur Vtrum christi et sanctorum ymaginibus sit latricie vel dulie cultus exhibendus &c.*

V. fol. 81. p. 2. Fasciculus ad Controversiam de Caena Domini in Conc. Constant. agitatam pertinens. Exhibet 1<sup>mo</sup>. *Allegationes R. P. domini patriarche Anthioceni (Johannis) contra communicantes sub utraque specie.* Incipiunt: *Beatissime pater et domine mi, Decretum super quo paternitas vestra misit mihi cedula, nunquam legi &c. 2<sup>do</sup>. fol. 82. p. 2. Allegationes fratris Johannis Rotani.* Incipiunt in eandem sententiam: *Super materia communionis vulgaris populi sub utraque specie plura scripsi et impugnando epistolam missam ex parte Johannis Cardinalis — et totius cetus Vniuer-*

*sitatis magistrorum studij Pragensis &c. Ad calcem: Ego frater Johannes Rota sacre Theologie magister regens in scolis sancti Saturnini Tholose &c. Dominicanum putem, licet in Quetisi Scriptt. Ord. non occurrat. 3<sup>to</sup>. fol. 85. p. 2. Allegaciones magistri Mauricij de Praga contra communicantes sub utraque specie. Initium: Apostolica docet sententia de viatrice sancta et universali ecclesia &c. Ad calcem ridiculo Librarii errore: Explicit tractatus M. Mauricij de Praga professoris sacre pagine contra communicantes sub utraque specie Constantinopolitanus. Extat in Herm. von der Hardt Concilio Constant. T. III. P. 21. col. 779. ex alio Cod. nostro et regio Berolin. ubi statim initio pro viatrice legitur matrice, nescio, an melius. Dicitur ibi pariter Tractatus hic scriptus et editus in Concilio 1417. 8. Dec. contra Jacobum de Misa (Miza, Strzibro, oppido Bohemiae). 4<sup>to</sup>. fol. 92. p. 2. Allegaciones domini Job. (Charlierii Gersonis) Cancellarij Studij Parisiens. contra communicantes sub utraque specie. Incipiunt: Oblaturus iuxta seniorum huius sacri Concilij &c. et extant T. cit. P. 20. col. 765. item Opp. Gersonis edit. Antwerp. T. I. p. 457. Noster ad calcem subdit: Explicit tractatus aduersus heresin nouam de necessaria communionem laicorum sub utraque specie raptim editus Constantie Anno 1417. die XX. Augusti. adiungitque auctoritates doctorum facientes ad predicta, quae*

1537

P O L E M I C I.

1538

quae in impressis defunt. 5<sup>to</sup>. fol. 97. *Allegaciones Magistorum Pragensium pertinentes pro communicantibus sub utraque specie*. Exordium sumitur ab Augustini textu: *Fieri nullo modo potest, ut hec sacrarum literarum auctoritas &c.* Habentur T. cit. P. 22. col. 805. tribuunturque Jacobello seu Jacobo de Misa. 6<sup>to</sup>. fol. 105. p. 2. *Incipiunt allegaciones siue resposiones magistorum et doctorum Studij wienn. de contrario facte in concilio Constantien.* Hermannus von der Hardt T. cit. P. 22. col. 826. Resposionem hanc dat *Mauritio de Praga*, sed in *Prooemio* nostro, quod non viderat, quodque incipit: *Cesaree maiestati serenissimi ac inuictissimi principis et domini domini Sigismundi — Generosorum ac inclitorum Baronum regni Bohemie prouida sagacitas transmittere ac presentare curauit Codicellum quendam &c.* expresse legitur: *Vnde quidam inter sacre Theologie professores de Vniuersitate studij Wienn. minimus — saltem prout ex dudum lectis et scolasticis auditis, cum plurimorum allegatorum librorum copias in Constan. ciuitate habere nequiuerit, ipsas auctoritates exponet &c.* Petro de Pulka itaque tribuendum videtur hoc Scriptum, quod et initio et fine ab edito variat.

VI. fol. 121. *Secuntur articuli Jo. bus extracti ex libro de ecclesia et quibusdam alijs tractatibus eius.* Numero XXX. prout extant apud *Herm. von der Hardt*

T. IV. P. 6. col. 407. et in *Collect. Concil. Regia* T. VIII. col. 410.

VII. fol. 122. *Tractatus Magistri Stephani de Palecz sacre Theologie professoris contra quatuor articulos buffitarum.* In *Prooemio*, quod incipit: *Quia teste beato Augustino in una epistola ad beatum Jeronimum &c.* haec leguntur: *Ideo ego stephanus de palecz minimus professorum, Archidiaconus Calliffien. — ad honorem reuerendi in christo patris et domini, domini Nicolaij archiepiscopi sancte ecclesie Gneznen. et primatis, et venerabilis capituli ejusdem ecclesie — legendo Matheum tamquam lector ordinarius in eadem ecclesia Gneznen. Circa materiam capituli XVI<sup>ti</sup>. tres collegi tractatulos, vnum de auctoritate ecclesie romane, sub Themate, Tu es Petrus &c. quam viclefiste et buffite negant et grauiter impugnant, Secundum de clauibus ecclesie sub Themate, Tibi dabo clauis regni celorum &c. Quibus viclefiste et buffite penitus contradicunt, Tertium de portis inferi, id est, quatuor articulis erroneis (de quibus mox infra) quos viclefiste et buffite serenissimis principibus regi polonie et magno duci litvanie pro catholicis presentauerunt, sub Themate, Porte inferi non preualebunt aduersus eam &c. Submittens eos correctioni sanctissimi domini nostri apostolici martini pape quinti &c.* Ex quibus sequitur, Autorem, qui prius in Academia Pragensi docuerat, finito Concilio Constantiae, Pragaque

1539

## C O D I C E S

1540

gaque in *Hussum* propensa, cui hic maxime adversatus fuerat, cum *Nicolao Tarba* Praefule *Gnesin* in *Poloniam* abiisse, id, quod *Balbinum* in *Bob. docta* lauit. Neque vero memorati III. *Tractatus* in nostro *Cod.* se continuo excipiunt; sed post II. sequentia interjiciuntur: 1<sup>mo</sup>. *Intimacio bussitarum in studio Cracouiensi*. Petunt scilicet *Johannes* (a *Reystein* s. *Reinstein*) *Cardinalis*, *Petrus pein* magistri studij *pragenf. locum* audiencie ad defendendos deo duce et *scolastica scriptura* quatuor suos articulos. Subjecta est protinus *Responsua Reftoris Vniuersitatis Cracouiensis*, et quidem, ut eadem manu additum est, *rustica*, quam damus: *Notificat reftor alme vniuersitatis studij Cracouiensf. de consensu et voluntate reuerendissimorum patrum et dominorum Archiepiscopi sancte Gneznen. ecclesie ac cracouiensis, Poznaniens, et plocen. episcoporum quibusdam iohanni qui dicitur cardinalis, Petro pein* (*Payne*) *anglico, assertis magistris vniuersitatis pragen. quod super 4 articulos per ipsos nominatos audiri scolastice non debeant, cum clare et aperte contineant hereticam prauitatem, et sint per vniuersalem ecclesiam condempnati, vadantque ad sedem apostolicam, et ibi expedientur, quod ipsorum doctrina insana friuola sediciofa piarum aurium offensua est, et tamquam heretica condempnata.* 2<sup>do</sup>. Sequitur *tractatus Viclesistarum et bussitarum per eos presentatus serenissimis principibus, re-*

*gi polonie et magno duci litvanie.* Sunt IV. illi *Articuli*, prout extant in *Joh. Cochlaei Hist. Hussit.* L. V. edit. *Mogunt.* 1549. f. p. 199. sed librarius noster pro anno 1421. subnotavit 1420. Et nunc demum *Tertius Stephani Palecz Tractatus* succedit, in cuius *Prooemio* cum de *Pragensibus* legatur: *Quod expresse ostenderunt in Cracouia Anno domini M<sup>o</sup>.CCCC<sup>mo</sup>.XXI<sup>o</sup>. post conductum pasce, dum informacionem repellentes, quam fiste postularunt, dixerunt vero in publica audiencia, quia non venimus informari sed informare &c. patet, aliqua tamen ratione eos auditos fuisse, simulque tempus conscripti hujus Tractatus innotescit. Varia porro hic N. V. et VI. occurrere, quae lucem nondum videre, obferuet Lector.*

VII. fol. 181. *Joh. Gersonis Opusculum tripartitum de Praeceptis, de Confessione et Scientia Mortis, sine praevia Epistola, ut alibi.*

VIII. fol. 194. p. 2. *Liber Aurelij Augustini de Agone christiano.* Incipit: *Corona victorie non promittitur nisi certantibus &c. et legitur edit. Maurianae T. VI. p. 245.*

IX. fol. 204. *Vberti de Lampugnano Repetitio hoc ingressu: In nomine indiuidue trinitatis eius beate matris Sancte katherine scolarum patronae nec non tocuis celestis curie, amen. Repetiturus c. unicum situatum sub rubrica De rerum permutatione li. VI. alijs prefacionibus obmissis &c. Ad calcem:*

1541

P O L E M I C I.

1542

eem: *Hoc capitulum fuit repetitum per me vbertum de lampugnano Juris utriusque professorem legatum Illustris et excelsi principis domini Galeas Vicecomitis virtutum* (ita enim se adpellabat, antequam toto Ducatu potiretur) *Comitis et Imperialis vicarij in lumbardie partibus ad Serenissimum et metuendissimum Principem principem dominum Wenzeslaum dei gratia Romanorum et Bohemie regem, Anno domini millesimo CCC. LXXXV Die VIII.º no- uembris in studio pragensi cui tunc presidebat in officio Reſtoratus Nobilis ac Strenuus Vir Dominus vbricus dictus Medeck de Stellenberg canonicus prebendatus ecclesie Pragensis Nec non plebanus ecclesie parochialis Sancte Marie in Vziget bene meritus quem deus conseruet et in sua felicitate augmentet. Uberti s. Hubertini ex nobili Mediolanensium stirpe Lampugnana, in Academia Pragensi per aliquod, ut videtur, tempus hospitis, tacente Guid. Panzirolo, meminit Paul. Morigia cum in *Hist. dell' Antichità di Milano* L. I. c. 23. edit. Venet. 1592. p. 143. et L. III. c. 14. p. 461. tum in *Nobiltà di Milano* L. III. c. 11. edit. Mediol. 1595. p. 146. ubi legas: *Vberto Lampugnano fù famosissimo Lettore nello studio di Pauia, e compose alcune cose di Filosofia.* His itaque addes, quae hoc Codice contenta ex Jurisprudencia edidit. Sequitur enim*

X. fol. 213. p. 2. Disputatio *De testamento Vsurarij.* An sci- Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

licet testamentum manifesti vsurarij conditum sine cautione prestita de vsuris restituendis, sed post intervallum prestita, sit validum vel non. Ubi adseritur huiusmodi testamentum conualefcere per cautionem ex intervallo praestitam. Ad calcem: *Hec questio fuit disputata publice per me Vbertum De lampugnano Juris utriusque professorem in studio pragensi.*

XI. fol. 215. p. 2. Quando quis dicatur Imperator post electionem uel coronationem. Initium: *Questio disputata ex terminis qui secuntur videlicet Vtrum quando electio solempnis est facta in Almania De Domino Imperatore statim consequatur nomen Imperatoris &c.* Affirmatur. Id quod etiam in comitiis Rensensibus 1338. et Francofurtensibus 1339. praeterea Edicto Ludovici Bav. Coloniae eod. an. statutum fuit, ut videre est apud Lunigium, Goldastum, alios. Nomen Lampugnani hic non additur.

XII. fol. 218. *Vtrum omnes christiani subsint Romano Imperio.* Initium: *Questio disputata ex terminis qui secuntur videlicet, Vtrum omnes principes reges et populi quicumque christum colentes sint De imperio romano an vero dicimus quod aliqui sint exempti ab Imperio romano priuilegio prescriptione uel quocunque modo alio.* Autor neminem eximit, sed rationibus nixus, quas hodie cordatus quivis explodat. Subscriptio: *Hec questio fuit disputata publice per me Vbertum de lampugnano Juris utriusque Professorem.*

Y

1543

## C O D I C E S

1544

rem. Legationis porro ejus in *Bobemiam* caussam extitisse arbitramur, quod anno supra dicto *Johannes Galeatus* sublato *Barnaba Vicecomite* Patruo suo *Mediolani Ducatum* capessiverit.

XIII. fol. 219. p. 2. *Johannes kalen* (Calderinus) de *Ecclesiastico interdicto*. Initium: *Quamvis Dubia circa materiam ecclesiastici interdicti potius popularem Determinationem quam magistralem solutionem exposcant &c.* Clausula: *Expliciunt collecta De Interdicto ecclesiastico per dominum Johannem Kalendrini Scripta Prage.* Ex quo non inferam, Autorem ipsum haec *Prage* elucubrasse; certo enim tunc nomen illius rectius scriptum foret. Sequitur copiosus Index et *Extrauagans Bonifacii de Interdicto non promulgando pro debito pecuniario cum Nostri Distinctionibus*, subscripta: *Et sic est finis Distinctionum Jo. Caldrini Decretorum doctoris eximij.* Extat hoc illius Opus in *Traçtatu Traçtat. T. XIV. fol. 325.* de ipso vero *Johanne Bononiensi* adoptato *Johannis Andreae* celebris Jur. Canon. Doctoris filio, ejusque pietate et scientia adi *Guid. Panzirolum* et Autores, quos illi in edit. *Lips. 1721. 4.* junxit *Chr. Godofr. Hofmannus.* Diem claudit an. 1365.

XIV. fol. 244. p. 2. *Repetitio capituli cum tanto de consue. facta per dominum Jo. an.* id est, *Johannem Andreae*, de quo paulo ante mentio incidit, adeundusque rursus est *Panzirolus.* Ex-

tat haec *Repetitio* in *Autoris Commentariis in Decretal. T. I.* edit. *Venet. 1581. fol. 59.* incipitque: *Cum tanto, Casus, consuetudo non derogat iuri diuino &c.* et subscripta est: *Explicit tractatus de consuetudine compilatus per dominum Jo an utriusque Juris eximium professorem.* Obiit hic *Bononiae 1348.*

XV. fol. 259. p. 2. *Repetitio Cap. Canonum Statuta de Constitutionib.* Incipit: *In exordio bujus actus dicam cum christianissimo imperatore Iustiniano &c.* Sequentia dant nomen et patriam *Autoris* et scriptionis tempus: *Consueuerunt repetentes repetere capitula sui nominis, sed quia raro uel nunquam reperitur aliquod mei nominis quod est Conradus, habetur etiam auctor alicuius decreti sub isto nomine, Licet a rege Conrado edita inueniatur ut in li feudorum, hoc c. cum sua superscriptione et Rubrica elegi quia magis cum nomine concordat saltem in principio, Rubrica enim est de consti. superscriptio concilium que in prima sillaba cum meo nomine concordant, capitulum vero in prima litera, concordat et similiter cum nomine diocef. originis mee que est Constantiens. conuenit et superscriptio diçe diocef. ex facto nunc concurrente. dicitur nam ex concilio et in dicta diocef. celebratur sanctissimum concilium (1414 — 418) &c.* Quis *Conradus* hic *Constantiensis* porro fuerit, ignoramus.

XVI. fol. 265. p. 2. *Oratio habita, dum quis literas docendi*

1545

P O L E M I C I.

1546

di munus auspicaretur, in illud: *Meum est consilium et equitas, mea prudentia &c. Prov. c. 8. Initium: Summa atque imperscrutabilis altissimi prudentia creatoris &c.* Opportuna sunt, quae Juventuti adhibet, praecepta, sed ea pro aevi gustu adcumulatis autorum facrorum profanorumque testimoniis obscurantur potius, quam illustrentur. Nullum cetera vestigium, quod aut ad auctoris, aut loci notitiam deducat.

XVII. fol. 278. *Questio de varijs casibus qui possent occurrere celebrantibus, et in hijs quomodo celebrantes se habeant.* Additur ex latere: *M. Urbani Mellicensis.* Initium: *Quia in missa sacerdotibus celebrantibus varii casus solent occurrere, Ideo queritur, Vtrum hijs casibus et defectibus qui circa celebrationem huius sacramenti occurrunt, sufficienter possit occurrere, obseruando statuta ecclesiae &c.* Casus hic propositi resolvuntur ferme ab omnibus, qui aevo posteriore de uniuersa Morum Theologia scripsere. Rubrica ad calcem: *Explicit hec Venerabilis Magistri Urbani de Mellico Sacre Theologie Professoris.* Virum hunc annis 1427. et 1434. Academiae Vindob. cum potestate Rectoris praefuisse tradit Georg. Ederus in *Catal. Inter Scriptores Univ. Vindob.* refertur P. I. p. 108. neque tamen ibi Opusculi nostri, sed tantum *Disputationis Ethicorum,* et *Tractatus in IV. Libb. Sentent.* sit mentio.

XIX. fol. 281. Codicem absolunt *Anonymi Sermones III. prima tria Decalogi Praecepta exponentes,* quorum primus incipit: *Cogitatum habe in preceptis dei et in mandatis eius maxime assiduus esto. Ita scribit sapiens &c.* Hoc Sermone longus Superstitionum illius aetatis textitur index.

CCCCXV.

Codex partim membraneus, <sup>200</sup> partim chartaceus, lat. germ. Sec. XV. Folior. 243. f. a diversis per duas columnas exaratus sequentia Opuscula complectitur: I. absque titulo *Tractatum contra IV. Articulos Hussitarum,* qui incipit: *Iussit reuerendissima vestra paternitas ac metuendissima Dominatio &c.* et jam pluries indicatus est, autore *Petro de Pulka.*

II. fol. 47. Ejusdem, ut videtur, *Adlocutio Synodalis,* hoc initio: *Patres Reuerendi nos ad contenciones non sumus congregati &c.* Etiam haec jam producta fuit Cod. CCCCXII.

III. fol. 51. absque titulo: *Johannis Hoffman de Swydnitz Tractatus eruditus contra Communionem Laicorum sub utraque Specie.* Incipit: *Debemus nos inuicem diligere. ita scribitur Prima Johannis 4º originaliter et legitur transsumptiue in currentis dominice missali officio exemplariter. Reuerendi Patres ac fratres in christo dilectissimi, ceterique Domini preclarissimi*

Y 2